



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 8. Sanitiensis Episcopus cum ceteris Provinciæ Præsulibus ad hanc
Synodum invitatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII. „Mandantes interim, ut hoc præsens
 A. C. 1727. „Edictum nostrum, ne cui detur igno-
 „rantiam obtendendi locus ad valvas
 „tum Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ,
 „tum singularum Cathedralium, ac
 „cæterarum in tota nostra Provincia
 „insignium Ecclesiarum affigatur. Quod
 „in Dei gloriam & honorem, feliciter,
 „Dei juvante gratia, cessurum confidi-
 „mus. „

§. VIII.

*Sanitiensis Episcopus cum ceteris Pro-
 vinciae Præsulibus ad Syno-
 dum invitatus.*

Præter indictionis decretum insuper
 Tencinus Embrodunensis Metro-
 polita eodem humanitatis officio, quo
 ceteros, etiam Joannem de Soanen
 Sanitiensem Episcopum ad hanc Syn-
 odum invitabat, missis ad eum die
 decima quinta Junii encyclicis hisce
 literis:

Reverendissime Domine.

„Ex quo in partem Sollicitudinis Pa-
 „storalis Divina Providentia vocati,
 „in specula Provinciæ Embrodunensis
 „fuimus constituti; vota nostra iis vo-
 „tis adjunximus, quæ jam dudum
 „concepere Episcopi Galliæ de Conci-
 „liis

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

„liis Provincialibus, juxta Sanctiones
 „Canonicas, ac salutarem usum olim
 „in Gallia nostra vigentem celebra-
 „dis; quo dirigerentur oves in viam
 „salutis, & Zizania, si quæ supersemi-
 „navisset inimicus homo, penitus era-
 „dicarentur. Vota illa in postremis
 „Comitiis generalibus Cleri Gallicani
 „ad Regalem Thronum concordi animo
 „una omnes detulimus, eoque majori
 „fiducia freti, quod ad Primogenitum
 „Ecclesiæ filium, hæredem pietatis
 „avitæ, Regem nostrum accederemus.
 „Annuit tandem Princeps Christianif-
 „simus, qui a nobis vinci se non passus
 „est in studio Religionis Catholicæ fo-
 „vendæ, atque promovendæ. Superest
 „ut cui Ecclesiæ ipse non defuit, ei nos
 „deesse non deprehendat, nec in vitium
 „illud delabi nos sentiat, de quo legi-
 „mus in Propheta: *Dormitaverunt Pa-
 „stres tui.*

„Quapropter re coram Deo mature
 „perpensa, pro suscepti regiminis offi-
 „cio necessitatibus Ecclesiarum Provin-
 „ciæ nostræ providere, cupientes, Con-
 „cilium Provinciale judicavimus in
 „Civitate Embrodunensi quam primum
 „esse cogendum, atque celebrandum,
 „ac hisce præsentibus Literis indicimus,
 „statuimus, & convocamus ad ea con-
 „sultanda, quæ pro illæse servando fi-
 „dei

Sæc. XVIII. „dei deposito, pro moribus ad normam
A. C. 1727. „Christianæ vitæ dirigendis, & Eccle-
 „siasticæ disciplinæ vigore refovendo
 „necessaria ac utilia fore iudicabuntur;
 „ut si quid fuerit contra debitam Ec-
 „clesiæ Catholicæ obedientiam atten-
 „tatum, renitentium pervicaciam stre-
 „nue coerceamus; si quis Pastorum
 „incuria, invaluerit abusus, hunc la-
 „bore indefesso resecando, morum in-
 „tegritatem restituamus, si perversio-
 „nis periculum immineat, officii nostri
 „memores, profanas vocum novitates,
 „& oppositiones falsi nominis scientiæ
 „sedulo præcaveamus, ac denique fiat
 „in Ecclesia Dei omnium credentium
 „cor unum, & anima una. Itaque
 „AMPLITUDINEM VESTRAM invitamus,
 „hortamur, & pro auctoritate nostra
 „Archiepiscopali monemus, ut in no-
 „stram civitatem Embrodunensem ad
 „Concilium suprascriptum in Ecclesia
 „nostra Metropolitana celebrandum, die
 „decima sexta Augusti videlicet postri-
 „die Assumptionis Beatæ Virginis Ma-
 „riæ præsentis anni millesimi septingen-
 „tesimi vigesimi septimi, vel per se, vel si
 „quo fuerit iusto impedimento detenta,
 „alioquin a Concilii Patribus rite pro-
 „bando, per Procuratorem suum legi-
 „timum ad condictam diem conveniat.
 „Ac insuper A. V. obtestamur, & mo-
 „nemus,

„nemus, ut illud nostrum, quod in his
 „Literis inclusum ad eam mittimus, Sæc. XVIII.
 „de celebratione Concilii Edictum, val- A. C. 1727.
 „vis Ecclesiæ suæ Cathedralis, alia-
 „rumque in sua Diæcesi insignium af-
 „figatur, illico & promulgetur; ac de-
 „nique procuret, ut omnibus, & iis
 „præsertim innotescat, qui Concilio
 „Provinciali de jure vel Consuetu-
 „dine debent interesse, quos publi-
 „catione illa rite volumus convocatos.
 „Cum autem neque qui plantat, est ali-
 „quid, neque qui rigat, sed qui incre-
 „mentum dat Deus, confidimus A. V.
 „pro pietate sua supplicationes publicas
 „in Ecclesiis Diæcesis suæ indicturam,
 „quibus una omnes Deum obsecremus
 „impense, ut quod felicibus aggredi-
 „mur auspiciis, ad feliciorum exitum
 „ipso aspirante perducamus. „

§. IX.

*Sanitiensis Episcopi accessus ad
Synodum.*

Perlectis hisce Archiepiscopi literis
 Joannes Sanitiensis Episcopus ali-
 quamdiu dubius hæsit, an ipse Em-
 brodunum veniret, vel utrum consul-
 tius foret, decrepitæ ætatis excusa-
 tione absentiam purgare: Inter ipsos
 quoque Episcopi Amicos discors erat